



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Clarissimi Viri Henr. Zoesii Amersfortii, In Academia  
Lovaniensi I. V. D. Et Antecessoris Commentarius In Jus  
Canonicum Universum, Sive Ad Decretales Epistolas  
Gregorii IX. P. M.**

**Zoesius, Hendrik**

**Coloniae Agrippinae, 1691**

Titulus XXXIV. De Transactionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62329](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62329)

Prætor in edicto ait, *Pacta servabo*, quem tamen constat ex iis actionem non dare, sed ea servare, datis exceptionibus, propter naturalem, quæ subest, obligationem. Quod & idem hic dicendum, cum *c. 3. h. t.* dicitur, studiosè agendum esse, ut pacta custodiantur. Idem tenet Cujac. ad *c. 2. vers.* Notandum inf. De sponsalib. dicens eos lavare Peliam, qui contra volunt. De moribus tamen pactis nudis sua est vis, ad instar stipulationis, atque inter mercatores pactum nudum omnino obligat, inter quos bona fides locum sibi præcipuè vindicat. Tiraq. De pœnis *cons. 51. n. 14.* Cœtera huc pertinentia repetantur ex *D. h. t.* ubi larè de hac pactorum materia.

## TITULUS XXXVI.

## De Transactionibus.

## SUMMARIUM.

1. *Transactio quid?*
2. *Quis super quibus rebus transigat, & qualiter.*
3. *Cur super dubiis tantum transigatur.*
4. *Effectus transactionis.*

**T**ransactionis nomine larè accepto venit cuiusque rei compositio: hic autem strictius sumitur, ut sit rei dubia & litis incerta: non gratuita decisio. In quo distinguitur à pacto, quod non est super re dubia, & plerumque gratuitum.

**2** Transigit quisquis super re ad se pertinente, honesta tamen & dubia, ratione litis, vel motæ, vel movendæ. *l. 2. Cod. h. t.* temporali, non etiam spiritali, propter limoniacam pravitatem, quæ subest, cum transactio non fiat gratis, sed aliquo dato, recento, vel r. misso: ut beneficia hac via retineri nequeant, ne quidem medio juramento. *c. Constitutus 4. c. Ex literis c. 7. h. t.* Ex quo capite & prohibitum litis expensas pro beneficio factas offere, in finem, ut adversarius lite cedat. *c. 4. sup. De pactis. qua de re inf. tit. De simonia. Amicabili tamen compositio admittitur, d. c. 4. c. Prætor 9. h. t.* Non habet etiam locum in causa matrimoniali, *c. fin. eod.* quæ definienda secundum Canonicas sanctiones, ne contra

eas contingat legitime contracta dissolvi, aut illegitime in iura sustineri. Super aliis rebus & juribus etiam Ecclesiæ, quin rata sit transactio, non est dubium, *c. 1. c. passim h. t.* modo ad sensus superioris, ubi ille necessarius, fuerit adhibitus, *c. 2. eod.* Alias non obligaret successorem, *Veniens 8. h. t.*

Ideo verò res dubiæ requiruntur, quia transactione aliquid deciditur; ut oporteat aliquid subire decisioni aptum, cuiusmodi est dubium, Quo modo non obtinebit in iis, quæ per sententiam sunt decisa: nisi appellatum fuerit, *d. l. 7. D. hoc tit.* aut iudicatum negetur, aut ignoretur. Non etiam habet locum in re decisa iuramento, à quo non receditur: ut res sit certa, atque ita non ponat materiam transactionis.

Effectus eius est, quòd habeat vim rejudicatae, non tamen nisi inter partes. Actio autem ex ea non datur, quod nudæ conventionis terminos non egrediatur: quæ de re, uri & aliis, quæ huc referri possent, latius dictum *D. h. t.*

## TITULUS XXXVII.

## De Postulando.

## SUMMARIUM.

1. *Advocatorum munus publicum & honorificum.*
2. *Qui contra quos postulare prohibeantur.*
3. *Clericis in sacris constitutis causis agere quatenus permittitur.*
4. *Item Religiosis.*
5. *Quædam litis pacificæ cur non liceant.*

**S**i ad compositionem partes induci nequeant, ad iudicem iur: ubi etiam per alios causa agitur, uti Advocatos, qui causis agendis quoque studio operantur, *l. 1. §. advocatos D. De extraord. cognis. & Procuratores.* Illorum dignior est conditio, cum quæ juris sunt suggerant, & dicuntur postulare, quod est suum vel amici fiducium in iure apud iudicem exponere, vel alterius desiderio contradicere. Munus hoc publicum est, ad quod non admittitur nisi habilis. Reicitur mulier, quia munus est virile: infamis, *l. 1. §. ait Prætor D. eod.*